

tum. Sed hoc, ni fallor, elogium illud Divinæ Sapientiæ interdi-
cit monitum : *Ne laudes Hominem in vita sua, lauda post
mortem*; interdixit quidem nobis, sed non Tuis operibus, in-
quit enim : *Laudent eum in portis opera eius*; hæc sanè Te
Sanctum deprædicant, velis, nolis; nec enim sancta opera, ni-
si Sanctum declamare possunt factorem suum. *Benignum* item
Patronum quærebat Ausonius, & merito, nam, *quis*, ait ipse,
*nisi Divorum numero aptatus, poterit libellum ab obrectatorum
linguis, calamisque incolumen adstruere*? Benignitatis autem, &
humanitatis virtutem appellavit Themistius, *cæterarum om-
nium Principem, cuius unius beneficio Proceres ad Dei simi-
litudinem accedunt*. Id sanè verum ipse demonstras, nam ad eò
hæc in Te virtus emicuit, vt tanquam divinizata humanitatis
emulator strenuus, mansuetudine, & lenitate cunctorum ani-
mos attrahas, non in vinculis ferreis, sed in funiculis Adam, non
tibi, sed ipsi Deo. *Munificum* insuper requirit Ausonius. Quis
hanc animi dotem pro meritis in Te exponere queat? Propria
sanè Pastoris eximij est Munificentiæ largitas. Quidni ergò dicā,
Summi Pastoris meritum, & apicem attigisse, quando quidem in
Te summa hæc virtus rutilat, quia sine summa: Quis enim calcu-
lo comprehendat, quot in egenorum inopiam sublevandam ex-
penderis facultates? Sed quid maius in Te mirandum censeo,
nempè, quot Tuæ, Tuorumque substuleris indigentie, vt pau-
perum egestati subvenias? Testatur calamitas illa, ac penuria,
quæ Univerfam vexavit Hispaniam ad finem præcedentis sæcu-
li; *Univerfam* dixi, sed cum exceptione Almæ Provinciæ, &
Diocesis Burgensis, quæ tam Munifico Pastore dotata, & dita-
ta, penuriã nō agnovit, quia Præfulis sui penuria abūdās extitit.
Sed quid mirū, si propter Oves Tuas pauper factus es, vt Oves Tuæ
Tua ditarentur inopia. Domesticam suppellectilem, quin & ipsius
Dignitatis preciosum ornatum, vel vendidisti, vel pignorasti,
vt qui Tuus esse non noveras, nihil Tuum habere contingeret, &
placeat. Prædicant hoc Burgenses. Sed Munificentiam Tuam
extollere singulariter nostri iuris est, quibus recentius ipsius mo-
nimentum altè cordibus insidet. Piè enim erga Minimorum pu-
sillum Gregem affectus, vna solum largitione, pro habitatione ip-
sis